

*CAPIT. XI.*

NOVAM CREATURAM ESSE  
fructū veræ conversionis, & Christia-  
num respectu fidei esse dominum; re-  
spectu charitatis vero, esse servum o-  
mnium: adhæc Christi vitam esse  
speculum nostrum.

2. Cor. 5. *Si quis in Christo est, hic no-  
va creatura est.*

*Quæ sit  
nova  
creatura*

*Libertas  
Christia-  
norum.*

*Christia-  
ni nomē  
eminet  
& subest*

OMNES qui in Christo Jesu sunt  
per fidem, hi sunt nova creatura,  
h. est, Filij Dei, justī coram Deo,  
habentes remissionem peccatorum  
& Spiritum sanctum, divinæ naturæ  
participes, vitæ æternæ hæredes, in  
conscientia liberi à Lege, maledictio-  
ne, morte, diabolo, inferno, cōdemna-  
tione, & denique nulli tempori, loco  
& legi alligati. Omnia enim à Christo  
gratis per fidem accipiunt, quæ ad sa-  
lutem requiruntur, ab illisq; nō tem-  
pore, non loco, non lege, non denique  
ceremonijs impediūtur aut arcentur.  
Adhæc in Christo perfecti sunt, habē-  
tes in ipso per fidem legis impletionē.  
Quapropter Christiani nomen omni-  
bus officijs, dignitatibus & titulis au-  
gustius quovisq; tempore, loco, lege &  
mun-

mun-